



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Iure, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

XXVII. Quinam praefendus est, cum res diueso tempore pluribus vendita  
sit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)



ex venditione absoluta cum præfata pensione, quia in priore eventu non suscipit rei periculum, bene tamen in secundo.

Præterea esto esse idem commodum, non obinde inferitur in utroque casu posse pensionem imponi, nam in contractu locationis imponitur pensio ob fructus qui locatori, seu venditori conditionato competunt. At cum venditio est absoluta, nequit hæc pensio ob fructus imponi, cum hi non venditori, sed emptori iure venditionis competant.

- 13 Ad extremum adverte non videri illicitum, si facta venditione cum obligatione soluendi statim pretium, adicias pactum emptore non solvente, ut pretium debitum in censum accipiat super fundum constitutum, sicuti relato Binsfeldio, *cap. in civitate. quest. 6. de usur. post 8. concl. aduertit Layman lib. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. num. 20.* Quod intelligendum est, dummodo in ipsa venditione non apponatur hæc obligatio suscipiendi censum, alias de pretio rei venditæ detrahendum esset quanti hæc obligatio æstimatur.

## P V N C T V M XXVII.

Quisnam præferendus est, cum res diuerso tempore pluribus vendita sit?

- 1 Primus emptor regulariter præferendus est.
- 2 Deinde cui dominium primo translatum est.
- 3 Venditio facta Ecclesie, alteriusve pio loco præferatur.
- 4 Non sunt censenda donata à principe hoc privilegium habere.
- 5 Venditio in qua dominium transfertur præferatur venditioni simpliciter etiam iurata.
- 6 Item venditio facta ab Ecclesiastico.
- 7 Haber verum etiam in contractu donationis, permutacionis &c.
- 8 Primus emptor postpositus agere potest aduersus venditorem, ut sibi soluat quæsi intererit.
- 9 Tempera superiorum doctrinam, nisi res primo emptori hypothecata sit specialiter.
- 10 Deinde dummodo secundus emptor non agnouerit rem alteri esse venditam.
- 11 Nam eo casu non solum intra annum, sed semper obligatur satisfacere priori emptori quanti sua intererat rem habere.
- 12 Secus est si bona fide secundus emptor processit.
- 13 Primo & secundo emptore litigantibus in casu dubij priori fauendum est.

1 **C**ertum est per se præferendum esse primum emptorem iuxta *reg. 56. de Regal. iuris in 6.* Qui prior est tempore potior est iure, & tradunt omnes.

2 Secundò est certum, si cui primo rei dominium translatum fuerit, etiam si in venditione fuerit posterior præferendus est. Sicuti decidit dicta *leg. quoties. Cod. de rei vindicac. ibi. Quoties duobus in solidum prædium iure distrahitur, manifesti iuris est cum cui priori traditum est in detinendo dominio esse potiorum.* Ius enim & dominium in re actione & obligatione personali est simpliciter venditione ortæ præponendum est. Ut pluribus comprobant ex communi Anton. Gomez 2. *variar. cap. 2. numer. 20.* Couarruu. 2. *var. cap. 19. numer. 1.* Molin. *disp. 369. post init.* Rebell. *lib. 2. quest. 17. sect. 3. num. 20.* Lessius *lib. 2. cap. 2. dub. 20.*

Notanter dixi *cui primo rei dominium translatum est*: non enim sufficit in contractu venditionis rem esse traditam, ut illius dominium emptor acquirat nisi pretium fuerit solutum, vel illius fidem venditor sequitur fuerit, ut sæpè diximus, & probat Text. *§. vendita insti. de rerum diuisione.* & notauit in præfati Mol. Rebell.

3 Hinc constant si Ecclesie, Monasterio, ciuitati, hospitali alteriusve loco pio aut in redemptionem captiuorum res vendita fuerit præferendam esse hanc venditionem alteri qua dominium translatum non est, nec vendita res fuit hypothecæ subiecta, quia hoc est privilegium Ecclesie, locove pio concessum, ut sola venditione simpliciter, donatione, legato absque traditione dominium quærat. Vti habetur *leg. fin. Cod. de sacrosanct. Ecclesiis*: & tradunt ex communi Couarruu. 2. *var. cap. 19. num. 2.* Gomez. *cap. 2. num. 20.* Molin. *disp. 369. post princ.* Lessius *lib. 2. cap. 2. dub. 20. num. 142.* Rebell. *lib. 2. quest. 17. sect. 2. num. 20.* Layman *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 4.* Salas *tract. de empt. & vendit. dub. 46. num. 4.*

4 Sed an idem privilegium habeant donata à Principe incertum est, ut constat ex his quæ latè tradit Couarruu. *dicto cap. 19. num. 2.* Verius videtur eo privilegio non gaudere, quia nullibi reperitur, & privilegia inducenda sunt absque fundamento. Et licet secunda venditio, aut donatio præsumatur facta ex oblatione prioris non obinde infirmatur, nec vitium obreptionis, aut surreptionis habet, cum non sit tacita conditio quæ de iure exprimens est, quidquid contra sentiat Andreas

Gayll *lib. 2. obseruat. 55. quem sequitur Layman. d. cap. 17. §. 4. post init.*

Præfata Doctrina scilicet venditionem in qua est dominium emptori quæsitum, esto posteriori sit, præferendam esse simpliciter venditioni habet verum, tamen hæc prima venditio iuramento firmata fuerit, quia iuramentum esto secundo vendentem per iurum faciat, non tamen eius venditionem, dominique translationem annullat: vt bene aduertit Couarruu. *de pactis. 1. p. §. 4. num. 2.* Anton. Gomez. 2. *var. cap. 2. num. 20. vers. §. 1. p. 1.* Gutierrez. *de iuram. 1. p. cap. 30. num. 4.* Rebell. *lib. 3. num. 22.* Molina *disp. 369. in fine.*

Secundo habet verum, esto vendens fuerit persona Ecclesiastica, Monasterium, Ecclesia, alterus locus pius, quia communi regula facta in dicta *leg. quoties* non excipiunt. At dispositiones iuris ciuiliis seruandæ sunt ab Ecclesiasticis, cum aliter per Ecclesiam non fuerit statutum, *cap. 1. §. 2. de non oper. nuntiat.* Atque ita docem Abbas, Butius & alij in *cap. continetur* de his quæ sunt à Præbato sine consensu Capituli. Iuxta in dicta *leg. quoties. Cod. de rei vindicac. numer. 19.* Couarruu. 2. *var. cap. 19.* Anton. Gomez. 2. *var. cap. 2. num. 20. vers. §. 1. p. 1.* Fachin. *lib. 2. controuers. cap. 33.* Molina *disp. 369. post med.*

Tertio habet verum non solum in contractu venditionis, sed etiam in contractu donationis, permutacionis, imò locationis semper in quam præferendus est qui primo fuerit rei dominium, seu quasi dominium, hoc est detentorem rei locatæ concessorem, vi cuius defendere potest aduersus primum conductorem qui solum actionem personalem in locatorem habet. Vt bene probat Couarruu. 2. *var. cap. 19. numer. 8.* Anton. Gomez. *cap. 2. numer. 20. vers. circa istam legem.* Molina *disp. 369. §. 4. quartum.* Rebell. 2. *p. lib. 9. quest. 17. sect. 3. numer. 21.* Lessius *lib. 2. cap. 2. dub. 10. numer. 140.* Layman. *dicto §. 5. in fine.* Neque his obest Textus in *leg. in operis. ff. locati vbi* primus conductor præferatur, quia non constat secundo rem traditum fuisse.

Verum esto is cui tamen posteriori dominium rei translatum est priori emptori præferatur, attamen hic primus emptor agere potest aduersus venditorem non quidem ut impediat possessionem rei secundo traditæ, sed ut sibi soluat quanti intererat rem venditam habere, *leg. qui rivi Cod. de hereditate, qui alit. ne vendita. leg. qui ancillam. Cod. de actionib. empti. leg. regia. 50. tit. 5. part. 5.* ut tradit Anton. Gomez. 2. *var. cap. 2. num. 20. §. quinto.* Decius *consil. 483. numer. 16.* Curtius *num. 381. §. 7. numer. 5.* Menoch. *de arbitrar. casu. 381. numer. 9.* Molina *disp. 369. post init.* ibique aduertit sic vendentem parum falsi venire pueniendum, de qua latè Menoch. *de arbitrar. casu. 381. per totum.*

Duplicem tamen limitationem præfata Doctrina suscipit. Prima dummodo res primo emptori specialiter hypothecata non sit, nam stante hac hypotheca ius in re concedente nequit secundo emptor firmum dominium rei venditæ acquirere, sed renouabile à primo emptore. Vt constat *ex leg. si creditor. §. fin. ff. qui priorum in pignore. vbi inquit text. Nam & in pignore placet. si prior conuegerit de pignore, licet posteriori res tradatur, adhuc posteriorum esse priorum & ibi Glossa Bart. Angel. Salicet. & alij quos refert, & sequitur Ant. Gom. d. 2. num. 20. vers. sane vero circa finem.* Couarruu. 2. *var. cap. 19. numer. 7.* Tiraquel. *de utroque retractu. tit. de retractu content. §. 3. gloss. vn. num. 5. & 6.* Gutierrez. *de iuram. 1. p. cap. 30. num. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 2. dub. 20. num. 141.* Molin. *disp. 369. §. textum.*

Secunda: dummodo secundus emptor, & in quem dominium translatum est conficius non fuerit alteri rem esse venditam, nam eo casu poterit primus emptor ab eo rem acceptam repetere intra annum à die scientie alienacionis, vtpote alienatum in sui fraudem, argum. Textus in *leg. 1. §. 1. de iur. Digesti de his qui in fraud. creditor. & tradit plures allegans Palacios Rubios in repetit. Rub. de donat. inter vir. & vxor. §. 71. numer. 11.* Gregor. Lop. *leg. regia. 50. in gloss. magna. tit. 5. part. 5.* Anton. Gomez. *cap. 2. numer. 20. circa finem.* Gutierrez. *1. p. de iuram. cap. 30. in fine.* Rebell. *d. quest. 17. sect. 3. in fine.* Molina *tract. 2. disp. 328. prope finem. & disp. 369. obseruat. 7.* Lessius *d. dub. 20. numer. 142.* Layman. *lib. 3. sum. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 4. num. 29.* Transacto anno in foro externo (certum est) obligatum non esse secundum emptorem, imò qui rem deo acceptat ad vilam restitutionem, vt præcitant Doctores Lessius, & Rebell. Molin. Layman. aduertunt.

At in foro conscientie est ipsimet Doctores quos nuper retuli ab obligatione reddendi rem, aut satisfaciendi primo emptori excusari secundum, eo quod non teneatur ratione rei acceptæ quæ ipsius sit, neque ratione iniuste acceptacionis quæ nulla est ex parte emptoris, cum ipse rem à vero domino accipiat, peccatum eius ob sui commodum permitens, longe verius exitimo obligatum esse si non ad rem primo emptori tradendam, bene tamen ad satisfaciendum ipsi quanti sua intererat rem habere. Nam cum manifestum sit venditorem in hac venditione iniustitiam commisisse, & ipse illius conficius, & complex fuerit, efficitur sanè eandem cum ipso obligationem habere.



subire. Quare ipso venditore non satisfaciente ipse videtur obligatus iuxta ea que de alienatione in fraudem creditorum late diximus disp. i. huius tract. par. 14.

Secus in his dicendum est, si bona fide secundus emptor, vel donatarius processerit. Nam itane bona fide si titulo emptionis rem alteri venditam, non tamen obligatam acceptis emittit a primo emptore nequit, ut colligitur ex dicta leg. 1. ff. de actionibus empti. & supponit Anton. Gomez, & Covarrua. Gutierrez. Lessius. Molina, Layman locis allegatis. At si titulo licitativo accepti intra annum cuius poterit si exeret in specie, vel quatenus ex ea ditor factus sit, quia titulus onerosus licitativo preferri debet dicta leg. 1. In foro autem conscientie nullam videtur obligationem habere, cum iniustitia particeps non fuerit.

Ad extremum adverte, cum primus & secundus emptor litigant cui primò dominium translatum sit in casu dubij primo emptori fauendum est. Tum quia suam intentionem habet fundatam. Tum vt eius iniuria reparetur. Excepit nisi secundus pretium numerauerit, cum tamen numeratio primi non probetur, sic Covarrua. 2. var. cap. 19. numer. 6. Lessius, lib. 2. cap. 21. dub. 20. in fine.

PUNCTUM XXVIII.

Teneaturne venditor emptori de euictione?

Res à non domino possessa, & detenta victa & in seruitute em addita est, quam cum dominus recuperat illam euincit, & à seruitute eximit. Contingit autem sepe quod emptor rem alienam, vel alteri obligatam emat, ob quam causam ab eo euincitur. Qua euicta concessa illi actio est aduersus venditorem. Tum vt sibi pretium datum reddatur iuxta estimationem rei co tempore quo euincitur. Tum vt sibi fiat satisfactio quanti sua intererat rem habere, tum ad damna si que inde fuerint subsequuta, vt constat ex leg. 1. leg. venditor. leg. euictare. ff. de euictionibus. leg. non dubito. leg. si conuersa. lege si cum questio. Cod. eodem. & capite fin. de emptione & vendit. & lege 32. ff. de iur. iudic. §. par. 5.

§. I.

Quibus in contractibus obligatio euictionis locum habeat?

- 1 In quolibet contractu oneroso datur euictio.
- 2 Datur in contractu permutationis.
- 3 Item in donatione in solutum.
- 4 In constitutione dotis estimatae.
- 5 In transactione.
- 6 In diuisione hereditatis.
- 7 In usufructu.
- 8 In seruitutibus.
- 9 In contractibus licitatis non est locus euictioni.
- 10 Si rem alienam donasti teneris donatario sumptus factos in re habenda compensare.
- 11 Siue donatio incipiat à promissione siue à traditione non est locus euictioni, nisi plures contrarium sentiant.
- 12 In legatis admittenda est euictio.

Non solum in contractu emptionis, & venditionis, sed in quolibet alio contractu oneroso datur euictio tamen si promissa non sit. Vt probat lex libera. Cod. de sententiis, & inuoluntariis omnium iudic. quia iure sic disponente hac obligatio ex ipsomet contractu nascitur. Et primò in contractu emptionis, & venditionis omnes Doctores fatentur debitam esse euictionem, si res empta ab emptore euincatur. leg. 1. ff. de euictionibus. leg. emptor. sum. Cod. eodem. & cap. fin. de empt. & vendit.

Secundò debetur euictio in contractu permutationis. leg. si permutationis. Cod. de euictionibus. & leg. 1. Cod. de rerum permutatione. quod enim permutatione accipitur quasi ematur re permutata qua compensatur.

Tertiò est locus euictioni in donatione solutum, dicta leg. libera. Cod. de sententiis. & leg. pradium. Cod. de euictionibus. Redimis namque ea re data solutionem debiti faciendam: fallit tamen in seruo boni fide pro noxa dato, qui si à vero domino euincatur non tenetur concedens de euictione, quia ipse noxe debitor non erat, poterit tamen damnificatus noxae exceptione retinere seruum, quousque verus Dominus noxam compenset, leg. si noxale. §. fin. ff. de noxalib. Sicubi bene aduertit alios referens Anton. Gomez simul. 2. var. capite 2. numer. 33.

Quarò procedit euictio in constitutione dotis estimatae estimatione qua facit emptionem, quia recipiens tenetur pretium reddere. Secus est si mulieri dos concedatur vt nubat, quia

videtur esse liberalis donatio ad finem matrimonij. Vt probat lex. 1. Cod. de iure dotium. & ibi Doctores communiter testantur Anton. Gomez. numer. 37. Quod si dos non mulieri, sed marito concedatur, siue detur estimata siue non, esto Anton. Gomez. ibi tenetur euictio non esse locum, quia peticulum & interitus rei non spectat ad ipsam, & quia ei non euincitur vxor ob cuius traditionem onera matrimonij simpliciter sustinet, verius est oppositum. Vt placuit Molin. disputat. 380. in princ. Layman, lib. 3. sum. sect. tractat. 4. capit. 17. §. 3. quia tunc videtur esse quod ob dotem sibi constitutam matrimonij contractum qui onerosus est celebret alias non celebraturus.

Quinò concedenda est euictio in transactione non quidem comparatione eius de quo transactio facta est, sed comparatione eius quod pro transactione est datum. V. g. contendis cum Titio de pradio, vt cedat tibi, tradis fundum, si fundus euincatur de euictione teneris, quia à te fundum habuit ob dubia litis estimationem: at si pradium tibi euincitur non est obligatus Titus de euictione pradij, neque item obligatus ad fundum à te acceptum reddendum, quia non accepti à Titio pradium, neque ipse in illius compensationem fundum accepit, sed vt à lite cessaret: vt rectè resoluit ex communi sententia Anton. Gomez d. capite 2. numer. 38. Molin. disputat. 380. post init. & probat lex si pro fundo. Cod. de transactionibus.

Secundò datur euictio in diuisione hereditatis facta ab ipsis hereditibus. leg. si familia. Cod. familie crescenda. Continet enim hæc diuisio virtuales commutationem. Vnde si res vni applicata euincatur, coheres alter tenetur de euictione: vt bene probat Anton. Gomez d. capite 2. numer. 34. Fachin. lib. 6. cap. 68. conclus. 7. Secus esset si ipsi coheredes pacti essent vt de euictione non tenerentur, quia eo pacto sibi iniuriam cesserunt iuri euictionis: vt inquit dicta lex si familia. Item si illa diuisio facta esset ex voluntate testatoris, nam censeretur prælegatus cui res firma, & secuta persistit aduersus quem nullam actionem haberet is à quo sua pars euincitur, leg. cum parte. §. euictio. ff. de legatis 2. nisi forte legitima debita priuaretur, leg. scimus. Cod. de inofficioso testam. & tradit Anton. Gomez. cap. num. 34.

Cum verò vendis hereditatem, vel quotam eius, & aliquas res singulares, & particularis illius emptori euincatur non teneris de euictione. Vt habetur leg. 1. ver. 1. Cod. de euictione. quia ipsa non fuit vendita per se, sed quatenus in hereditate à te vendita præsumebas contineri, bene tamen obligaris de euictione, si ipsa hæreditas, vel illius quota fuerit euicta, eo quod conuinceris non adhuc esse heredem, nec ius hereditatis alienabile habere. leg. si nulla. ff. de heredit. vel actione vendita sic Anton. Gomez. 2. var. cap. 2. num. 43.

Septimò euictio admittenda est in usufructu. Etenim si rem frugiferam vendidisti à qua usufructus euincitur teneris emptori de euictione. leg. va. ce. leg. quid si quid leg. si ab emptore. ff. de euictionibus. quia ab eo pars rei venditæ sublata est: usufructus enim pars est rei venditæ, leg. 4. ff. de usufructu. & leg. qui usufructum. ff. de verbor. obligat. & aliis adductis ab Anton. Gomez. 2. var. cap. 2. numer. 45. Molin. disputat. 380. §. si pars.

Octauò in seruitutibus partim euictionis obligatio admitti debet partim negari: si enim vendas rem tanquam liberam sciens esse seruituti subiectam, & à fortiori si affirmasti nullo vitio teneri, & postmodum seruitus nautica, vel vrbana nempe alius tollendi, sit licitiam auerendi, vel non auerendi, tigna immitendi, ducendi aquam, agendi iter, & alia simili euincatur de euictione teneris & ad interesse & damna subsequuta, iuxta leg. penult. ff. de euictionibus. leg. 1. §. 1. leg. iulianus. leg. quæro ff. de actionibus empti. Quod adeo verum est, vt et si pactum feceris, ne hac obligatione tenearis, non obinde excusaris, quia emptor non tenetur in pactum dolosum consentire. Vt habetur dicta leg. quæro, & docet Anton. Gomez d. cap. 2. numer. 45. Molin. disputat. 380. §. si vero. Quod si ignorans rem seruituti subiectam tanquam liberam vendideris, esto non tenearis de euictione quoad interesse, & damna inde subsequuta, vt colligitur Anton. Gomez, & Molina locis citatis ex leg. penult. ff. de euictionibus. attamen teneris emptori quantumvis rem illam emiseris, si seruitute careat. leg. sed si quid ff. de euictionibus.

Hucusque de contractibus onerosis dictum est: at si sermo sit de contractibus licitatis, vt est donatio, & promissio liberalis omnes conueniunt euictioni non esse locum. Nam cum donans, vel promittens liberaliter nullam ex parte donatarij, aut promissarij causam habeat, qua ad sic donandum, vel promittendum astringatur, consequens est, vt ex vi contractus nulla euictionis obligatione teneatur. Neque vilius fundamentum sit presumendi te velle obligare re donata euicta aliam soluere. Et colligitur ex leg. Aristo. §. vlt. ff. de donat. Et tradunt fere omnes Doctores. Vt videre est in Anton. Gomez cap. 2. num. 35. Molin. disp. 352. ver. secundò.

Temperant autem aliqui, ne procedat, cum sciens rem esse